

In tantum enim Albiensium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille civitates, et si non fuisset gladius fidelium repressus<sup>1)</sup>, puto quod totam Europam corrupisset. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo praedicata est contra Albienses in tota Alemania et Francia crux, et ascenderunt contra eos anno sequenti de Alemannia Lupoldus Dux Austriae, Engilbertus tunc Praepositus, postea Archiepiscopus Coloniensis, et frater eius Adolphus Comes de Monte, Wilhelmus Comes Juliacensis, et alii multi diversae conditionis atque dignitatis. Simile actum est in Francia, Normannia atque Pictavia<sup>2)</sup>. Horum omnium praedicator et caput erat Arnoldus Abbas Cisterciensis, postea Archiepiscopus NARBONNENSIS. Venientes ad civitatem magnam, quae Biders<sup>3)</sup> vocatur, in qua plus quam centum millia hominum fuisse<sup>4)</sup> dicebantur, obsederunt illam. In quorum aspectu<sup>5)</sup> haeretici super volumen sacri Evangelii minentes, de muro illud contra Christianos proiecerunt, et sagittis post illud missis clamaverunt: Ecce lex vestra, miseri. Christus vero Evangelii sator iniuriam sibi illatam non reliquit inultam. Nam quidam satellites zelo fidei accensi, leonibus similes, exemplo illorum, de quibus legitur in libro Machabaeorum<sup>6)</sup>, scalis appositis, mares intrepide ascenderunt; haereticisque divinitus territis et declinantibus, sequentibus portas aperientes, civitatem obtinuerunt. Cognoscentes ex confessionibus illorum<sup>7)</sup> catholicos cum haereticis esse permixtos, dixerunt Abbat: Quid faciemus, domine? Non possumus discernere inter bonos et malos. Timens tam Abbas quam reliqui, ne tantum timore mortis se catholicos simularent, et post ipsorum<sup>8)</sup> abcessum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixisse: Caedite eos. Novit enim Dominus qui sunt eius<sup>9)</sup>. Sieque innumerabiles occisi sunt in civitate illa.